

Naturalis intellectus (ut diximus) est immaterialis, id quod
 est materiale potest immaterialiter intelligere: &
Porphi. lib. particulare uniuersaliter apprehendere. Vnde
prædic. cum usque ad singularia iubeat Plato quiescere,
 & scientia sit solum uniuersalium, de his quæ nul-
 lo modo possunt a materia sensibili & intelli-
 gibili particulariter separari, est philosophia natu-
 ralis: quæ quamuis non abstrahat a materia sensi-
 bili abstrahit tamen a materia particulari. Quæ-
 dam autem & si a materia sensibili realiter nequa-
 quam sunt separata, possunt tamen per intelle-
 ctū ab ea separari: licet a materia intelligibili ab-
 strahi nequeant. Et hæc sunt omnia mathemati-
 ca. De quibus est scientia speculatiua alia a natu-
 rali, quæ est et geometria et arithmetica. Quædā
 uero tam a materia sensibili quam ab intelligibili
 sunt separata: circa quæ alia scientia uersatur, quæ
 metaphysica nuncupatur. Prima ergo harum
 hoc est philosophia naturalis cum sit de rebus na-
 turalibus: quæ ideo naturales dicuntur quia habent
 naturam quæ est principium motus & quietis,
 necesse est ut tractet de motu & mobilibus, quæ
 ab Aristot. in multas partes diuiditur. In prima
 enim considerat de motu simpliciter quæ de phi-
 losophico auditu inscribitur. In secunda de motu
 per comparisonem ad corpora nobilissima, ui-
 delicet in libro de cœlo. In tertia de motu ipso per
 comparisonem ad corpora simplicia generabi-
 lia & corruptibilia, quæ sunt elementa, in libro
 de generatione & corruptione. In quarta item
 de motu per comparisonem ad ea quæ in media
 aeris regione generantur in libro metheororum.

mathem.
geomet.
arithm.
metaph.

phisc. l. de
cœlo.
de gen.